

REGVLA MONACHARVM.

G & appetit foemina. Nec dicatis vos habere animos pudicos, si habeatis oculos impudicos: quia impudicus oculus impudici cordis est nuncijs. Et cum se invicem sibi etiam tacente lingua conspectu mutuo corda nunciant impudica, & secundum concupiscentiam carnis alterutro delectantur ardore, etiam intadris ab immunda violatione corporib⁹ fugit castitas ipsa de morib⁹. Nec putare debet quæ in masculum figit oculū, & illi⁹ in seipsam diligit fixum, non ab alijs videri cū hoc facit, videtur omnino & a quibus videri nō arbitratur. Sed ecce lateat, & a nemine hominū videatur, quid faciet de illo supremo inspectore, quē latere nihil potest? An ideo putandus est nō videre, quia tāto videt patētius quāto sapientius? Illi ergo timeat sancta foemina displicere, ne velit viro male placere: illū cogitet omnia videre, ne velit viro male videri. Illius namq; & in hac causa commendatus est timor, ubi scriptum est: Abominatio est domino defigens oculum. Quando ergo simul estis in ecclesia, & ubicunq; ubi & viri sunt, invicem vestram pudicitiam custodite. Deus enim qui habitat in vobis, etiā isto modo vos custodiet ex vobis. Et si hanc de qua loquor, oculi petulantia in aliqua vestrum adverteritis, statim admonete ne cepta progrediatur, sed ex proximo corrigantur. Si autē & post admonitionē iterum vel alio quocunq; die idipsum eam facere videritis, iam velut vulneratam sanādam prodat quæ: conque inuenire potuit, hoc prius tamen & alteri vel tertiæ demonstratam, ut duarum vel trium possit ore convinci, & competenti severitate coerceri. Nec vos iudicetis esse malevolas, quando hoc indicatis. Magis quippe innocentes non estis, si sorores vras, quas indicando corrigere potestis, tacēdo perire permittitis. Si enim soror tua vulnus haberet in corpore quod vellet occultari, dum timeret secari, nōne crudeliter abs te fileretur, & misericorditer indicare tur? Quanto ergo poti⁹ eam debes manifestare, ne perniciosius putrescat in corde? Sed antequam alijs demonstretur, per quas convincenda est si negaverit, prius Præpositæ debet ostendi, si admonita neglexerit corrigi, ne forte possit secretius correpta innotescere cæteris. Si autem negaverit, tunc neganti adhibendæ sunt alia, ut iam coram omnibus possit, nō ab vna teste argui, sed a duabus tribusve convinci. Coniuncta vero secundum Præpositæ vel presbyteri arbitrium, debet emendatoriam sustinere vindictā, quam si ferre recusaverit, & si ipsa non abcesserit, de vestra societate projiciatur. Non enim & hoc sit crudeliter, sed misericorditer, ne contagione pestifera plurimas perdat. Et hoc quod dixi de oculo non figendo, etiam in cæteris inveniendis, prohibendis, indicandis, convincendis, vindicandisq; peccatis diligenter observetur cum dilectione hominū & odio vitiorum. Quæcunque autem in tantum progressa fuerit malum, ut occulte ab aliquo literas vel quælibet munuscula accipiat, si hoc vltro cōfiteatur, parcat illi, & oretur pro ea. Si autem deprehenditur atque convincitur secundum arbitrium Præpositæ vel presbyteri, vel etiam Episcopi, gravius emendatur. Vestes vestras in vno loco habete sub vno custode, vel duab⁹, vel quot sufficere potuerint ad eas excutendas, ne a tinea ledantur. Et sicut pascimini ex vno cellario, sic iduamini ex vno vestiario. Et si fieri potest, non ad vos pertineat quid vobis induendum pro temporis congruentia proferatur, vtrum hoc recipiat vnaqueq; vestrum quod deposuerat, an aliud quod altera habuerat, dum tamen vnicuiq; quod op⁹ est non negetur. Si autem hinc inter vos contentiones & murmura oriuntur, & conqueritur aliqua deterior aliquid se accepisse, quā prius habuerat, & indignam se quæ non ita vestiatur sicut alia soror eius vestiebatur, hinc vos probate quantum vobis

desit in illo interiore sancto habitu cordis, quæ pro habitu corporis litigatis. Tamen si vestra toleratur infirmitas ut hoc recipiatis quod posueratis, in vno tamen loco sub communibus custodibus habete quod ponitis, ita sanē ut nulla sibi aliquid operetur, siue vnde induatur, siue ubi iaceat, siue vnde cingatur vel operiatur, vel caput contegat, sed omnia opera vestra in commune fiant maiore studio, & frequentiori alacritate, quā si vobis propria faceretis. Charitas enim, de qua scriptum est, quod non querit quæ sua sunt, sic intelligitur, quia communia proprijs, nō propria communibus anteponit. Et ideo quāto amplius rem communem quā propriam curaveritis, tanto amplius vos profecisse noveritis, ut in omnibus quibus vtitur transitura necessitas, superemineat quæ permanet charitas. Consequens ergo est, ut etiam illud quod suis vel filiabus, vel aliqua necessitudine ad se pertinentibus in monasteria constitutis aliquis vel aliqua contulerit, siue vestem siue quodlibet aliud inter necessaria deputandum, non occulte accipiat, sed sit in potestate Præpositæ, ut in commune redactum, cum necessarium fuerit prebeatur. Quod si aliqua rem sibi collatam celauerit, furti iudicio condemnetur. Indumenta vestra secundum arbitrium Præpositæ lauentur, siue a vobis, siue a fulionibus, ne interiores animæ sordes contrahat munda vestis nimis appetitus. Lauacrum etiam corporum, vltusq; balnearum non sit assiduus, sed eo quod solet intervallo temporis tribuatur, hoc est semel in mēse. Cuius autem infirmitatis necessitas cogit lauandum corpus, non longius differatur: Fiat sine murmure de consilio medici, ita ut etiam si noluit, iubente Præposita faciat quod faciendum est pro salute. Si autē velit, & forte nō expedit, suæ cupiditati nō obediatur: aliquando enim etiā si noceat, prodesse creditur quod delectat. Denique si latet est dolor in corpore famulæ dei, dicēti quid sibi doleat, sine dubitatione credatur: sed tamen vtrum sanando illi dolori quod delectat, expedit, si nō est certū, medicus cōsulat. Nec eāt ad balneas, siue quocunq; ire necesse fuerit, min⁹ quā tres. Nec illa quæ habet aliquod eundi necessitatem, cum quibus ipsa voluerit, sed cum quibus Præposita iusserit, ire debet. Egrotantium cura siue post ægritudinem reficiendarum, siue aliqua imbecillitate etiam, siue febribus laborantium, alicui debet inungi, ut ipse de cellario petat quod cuique opus esse perspexerit: siue autem quæ cellario, siue quæ vestibus, siue quæ codicibus præponantur, sine murmure seruiant sororib⁹ suis. Cōdices, certa hora singulis diebus petantur, extra horam quæ petuerint non accipiant. Vestimenta vero & calciamenta quando fuerint indigenti necessaria, dare non differat sub quarum custodia sunt quæ poscuntur. Lites aut nullas habeatis, aut quā celerissime finiat, ne ira crescat in odium, & trabem faciat de festuca, & animam faciat homicidam. Neque enim ad solos viros pertinet quod scriptum est, Qui odit fratrem suum, homicida est, sed sexus masculino, quem primum deus fecit, etiā foemineus præceptum sexus accepit. Quæcunq; conuicio vel male dicto, vel etiam criminis obiectu altera læserit, meruerit satisfactio quantocyus curare quod fecit, & illa quæ læsa est, siue disceptatione dimittere. Si autē iniuicem se læserint, inuicem sibi debita relaxare debebunt propter orationes vestras, quas utique quanto crebriores habetis, tanto sanctiores habere debetis. Melior est autem, quæ quamvis ira sæpe tatur, tamen impetrare festinat, ut sibi dimittat cui se fecisse agnoscit iniuriam, quā quæ tardius irascitur, & ad veniam petendam difficiliter inclinatur. Quæ non vult dimittere sorori, non speret accipere orationis effectum: Quæ autem nunquam vult petere

5. q. 5. non iudicetis.

Hoc nūc optarent.

12. q. 1. nō dicatis.

Balnea mēstrua.

M

1. Ioan. 3.